



Handwritten text, possibly a signature or date, located in the upper center of the page.

## DIVINA ANNVENTE

GRATIA,  
DISPUTATIONUM ETHICARUM  
PRIMAM,

Quæ

NATURAM ETHICES

investigat,

*in alma Leucorea.*

Sub Præsidio

M. GEORGI OBERLA PLA-

VENSI VARISCI,

Amplissimæ Facultatis Philosophicæ

Adjuncti,

TU EBITUR

A N D R E A S Bergeman /

Jutrebocensis S.

Ad diem 21. Octobris

*hæris & loco solitis.*

Virg. Georg. l. 2.

Adeò à teneris assuescere multum est.

VVITTEBERGÆ,

Typis Mullerianis.

Anno 215030vías

M. D C. X I V.



V I R I S

Authoritate, virtutum splen-  
dore, rerum experientia, Eruditione, Humas-  
nitate præstantissimis

Dn. M. BALTHASARI SCHARNOVIO  
Prætori Reip. Jutrebocensium dignissimo.

ac &

*Reliquis Scabinatus Assessoribus spectatissimis.*

Dn. M. OSVALDO Am Ende / Pastori Dhamensium  
vigilantissimo.

Dn. M. JOHANNI REDSLOVIO Rectori scholæ  
Jutrebocianæ meritissimo.

Dn. M. AMBROSIO HANNEMANNO, Conrectori scho-  
læ patriæ solertissimo, ibidemque ad D. Virginis  
& Monach, à concionibus.

Dominis Meccænatibus, benefactoribus, præce-  
ptori & affini, fautori, æviternum hono-  
randis,

*hasce conclusiones & quaestiones Ethicas*

*in grati animi & exercitiij Academici σύμβολον*

*offert*

Andreas Bergeman / Resp.

## Præludium.

**R**us valent in Germania boni mores, quàm alibi bonæ leges, inquit alicubi laudatissimus ille Historicorum, Cornelius Tacitus. Egregium præsci illius seculi encomium, quod utinam quotidie auribus animisque singulorum singulis obversaretur! Nobilitas sanè Germanica in Equestribus gymnasijs veritatem hujus satis comprobavit, dum non nisi iis, qui virtutibus excelebant patere: qui verò labe quadam aspersi erant, interclusum ad ea volebat aditum, ut vel hoc pacto, ad virtutis artem, nobili generoso impetu expugnandam, feliciterque obsidendam, non neminem extimularet. At *Deum bonum*, quæ nunc sunt tempora qui homines, qui mores! cuticula quando curanda, voluptatisq; visendum theatrum est, plus æquo solertes sese plerique præbent: Sed ad virtutis templum dum pergendum est, *tota ferme plerisque dormitur hyems*: Et quod dolendum, vix mali mores nunc optumis satis coerceri possunt legibus; *ô demens locordia & locors dementia!* Unusquisque

Quæ lædunt oculos festinat demere, si quod  
Est animum, differt curandi tempus in annum.

Tu verò *genuina Tusconis sçholes*, quid reris? Num Ethnicis *Horat. lib. 1. Epist. 2.*  
ipsis, quæ morum probitatem, quæ sanctimoniam, quicquam cedes  
sub Christi dum militas vexillo? Absit. Quin potius velis remisque  
eò contendas unicè, ut tantò magis nunc vivis & moderatis id ex-  
primas viribus, quod aliæ gentes Il. duntaxat pingere consueve-  
re, quantò, Diis gentium dum litabas, honestatis studiosiorem te  
dabas.

Quam ad rem maximè faciet illa sapientiæ humanæ portio,  
quæ à praxi seu actione, quam ritè juxtaque virtutis tramitem ef-  
fingere & prodere docet, *Philosophia practica seu activa appellatur*. Cu-  
jus partem generalem si Clementissimus Deus ausus approbaverit nostros,  
paucis disputationibus inclusam, in posterum exhibere fert ani-  
mus.

Et cum nostra hac in literarum studii peregrinatio sine supremâ  
lucē miserabilis quædam sit erratio judicio Scaligeriano; Patrem lu-  
minum, qui eos, qui scientiarum sunt studiosi, suos esse voluit, veneramur  
supplices, ut suo immenso atque ineffabili Spiritu mentes nostras  
compleat, manus nostras, elotâ labe suo nutu regat, ut quantum  
loci, quantum temporis atque argumenti captus fert grata ipsi di-  
cere liceat nobisque fructifera.

Nunc ad labores, qui præ manibus sunt.

### THESIS I.

**P**hilosophia Practica (ut ἐν πρᾶξι hoc dicamus) finitur doctrinæ, seu  
habitus principalis dirigens actiones humanas, quæ honestè formandæ  
sunt moribus, cum in finem, ut homo felicitate perfectâ hac in vita fru-  
atur.

II. Græcis dicitur *Φρόνησις*, Latini eam prudentiam dicunt, re-  
rum expetendarum fugiendarumque scientiam. Quo ipso  
satis laudes ejus decantasse mihi videntur. Etenim (nè definitio-  
nis proluxa enodatione nos ipsos citra necessitatem moremur, )  
prudentia sola præit, & ad rectè faciendum viam monstrat: prudentia nil non  
subiectum:

Nullum numen adest si sit prudentia,

Famulatur omne, quicquid est prudentiæ.

*Arist. l. 6.* III. Vocitatur alio nomine *disciplina civilis*, cum & ipse Philoso-  
*Eth. 6. 8.* phus pluribus in locis voculas *civis* & *civilis* generalissimè pro cu-  
jusque societatis membro sumere videatur. Interim illud inter  
prudentiam & civilem disciplinam interesse videtur discriminis,  
quod illa nostram respiciat correctionem, bonique possessione nos  
perficiat; hæc verò patriæ bonum spectare jubeat.

IV. Quamvis autem hæc ipsa, quippè minimè humili loco nata  
& nata, fautores & cultores invenerit omnibus ætatibus non infir-  
mæ sortis plurimos; multis quoque præceptis hanc ad rem facien-  
tibus vetustissimorum scripta abundaverint; desiderabatur tamen  
adhuc *distinctæ cognitionis quam causam sapientes proclamant, ordo.*

V. *Aristoteles primus fuit, qui disciplinam civilem ordine donavit, fecit*  
que ex mille aliquot particulis uniforme & apprimè coherens  
corpus, cujus vestigia legere & alij quorum catalogum hoc loco  
pertexere prolixum, immò supervacaneum esset.

6. Her-

V I. Herciscebatur antiquitus civilis doctrina in Ethicam, Politicam & economicam, cui tamen divisioni, cum ea minimè sit ad palatum nostrum, nuncium mittentes, causas dissensionis in quæstionibus exposituri, illis subscribimus, qui eam communi seu generali & propria seu speciali parte absolvi credunt: rursumq; specialem disparant in politicam & economicam.

V II. Nos uti diximus hac vice ad Ethicam nos accingimus, quæ *Definitio.* finitur Prudentia pars generalis per virtutes appetitum hominis ita informans, ut rectæ rationi obediat, ad vitam civilem bene beatèq; transfigendam.

V I X. Quæ nomen Ethices, utrum ea  $\delta\iota\omega\tau\epsilon\tau\epsilon\epsilon\theta\iota\zeta\epsilon\sigma\delta\alpha\iota$  ab assue- *Etymon,* scendo: I. M. M. 6. vel  $\delta\iota\omega\tau\epsilon\tau\epsilon\eta\delta\epsilon\zeta$  vel  $\epsilon\theta\iota\zeta$  à moribus *Piccol. in in-* trod. ad Moral. Phil. ita dicatur, licet hic movebimus nullam.

V I X. Prudentia autem dum dicitur, eam habitum esse & quidem non instrumentalem (Sic enim esset propter alium habitum) sed *Prin-* cipalem, eumque non theoreticum, quippe qui solam contempla- tionem, sed *Practicum* qui actionem pro fine agnoscit, facile ariolarari poteris.

X. Prudentia quoque objectum agnoscit non  $\tau\omicron\ \tau\omicron\sigma\iota\eta\tau\iota\kappa\omicron\nu\delta\upsilon\nu$ , sed  $\pi\epsilon\zeta\alpha\lambda\iota\kappa\omicron\nu\delta\upsilon\nu$  & circa agibilia versatur. Minimè enim sufficit virtutem vidisse, sed eam & habere & exercuisse commodum est. Hinc in ludis olympicis non qui sciebant, sed qui fortissimè pugnabant & vincebant, coronabantur.

X I. Quæ differentiæ loco adduntur reliqua, Ethicæ formalem *1. Eth. 6-8.* rationem, obiectum, causam efficientem & finem ultimum facile explanant. Nos, nè quòd ab aliis actum agamus, quid in Ethicis vel fugiendum vel appetendum propinecur, strictim tangemus.

X I I. Ubi te ad hæc quasi summa capita oculos dirigere jube- *Seneca.* mus. Ante omnia summum bonum seu scopum totius vitæ respicias. Illi enim oportet consentiat, quicquid agere occipis. Scire debet, quid petat ille, qui sagittam vult mittere & tunc dirigere & moderari manu telum.

X I I I. Certum ubi præfixum tenes scopum in te descendas & facultates animæ quibus bonum acquirendum venit, explores. Et de his *1. Eth.* morum Doctor te edocebit.

X I V. Hinc de medijs cogites & quidem communissima illa, quæ *Ovid. lib.* ad summum itur bonum, via tibi hæc tenenda erit: *2. Metam.* *f. 40.* *15. Sic* *ibid.* Nam Est virtus medium vitiorum utrinque reductum.

XV. Sic ergo honesta virtutis facies oculis obijcienda tuis est: Exploranda probè affectuum vehementia; Attendendum quid ira tentet, quomodo amor illecebris invitet te suis. Hostis vires prius experiri te decet, quam ad certamen te prepares. Sic enim prævisa minus tibi obesse poterunt tela. Instructionem hac in parte suppeditabit Philosophus l. 2. Ethic.

XVI. Nondum autem finis: virtutum principia cognita habeas oportet. Noscendum quid consentiente vel invito te dicatur fieri, sciendum & hoc vel voluntatem vel electionem pro libertate homini relictam in actionibus Ethicis munere suo fungi posse, petes horum scientiam ex l. 3. Eth. capitibus.

XVII. Virtutum autem species cave sis negligas, quas licet inter se colligatas & implicatas offendes, singulæ tamen peculiaria officiorum genera tibi suppeditabunt, uti claret ex fine 3. & 4. Ethicorum integro libro.

De cætero, cum affectu quodam inordinato in alterius bona irruere posses, animum intra iusticie limites vide retineas & ab omni injuria eum revocare discas, præferente facem Philosopho 7. Ethicorum.

XIX. Interim & servire tempori & quid locus, quidve vita postulat, tractare assuescas. Neque enim sufficit, monere sagittarium, ut ad scopum collimet: sed & quis ille sit, & quò tela dirigenda admonuisse eum oportet; sic non satis est animum ad virtutem extimulasse, sed via modusque monstrandus, quo mediante ad istam perveniatur.

XIX. Hoc ergo ut consequi valeas ad prudentiam tanquam ad cynosuram respicias. Quemadmodum enim nec fundamentum sine tecto durable esse potest, ita nec virtutes quicquam merebuntur laudis, nisi prudentia manum quasi ipsis præbeat, viamque monstrat, quo sit eundum.

XXI. Quod si verò generosa indoles, & vivax animi virtus quem in sublime evexerit, maiora quoque & parem virtuti molem eum quævere iubemus, ut inter Heroes locum obtinere & cum laude tueri valeat. Sin verò natura degeneret & beluinam plane spiret feritatem, tenacioribus magis constringenda erit vinculis.

XXII. Si tamen itineris istius difficultate hostiumque, quibus  
cum



eam omninò congregiendum, ferocitate præpeditus fueris, quò  
minùs culmina & fastigia ipsa occupare sufficiat: *Ecce aliquem ta-*  
*men virtutis gradum occupasse solatio ipsi erit:* Est aliquid prodire tenus  
si non datur ultra. Si prima non semper vales, nùm secunda navi-  
gatione uti propterea contemnes. Suggestit hoc Philosophus  
l. 7. Eth.

XXIII. Denique, postquam virtus honestorum virorum cata-  
lago te inferuit, *de amicitis quoque tibi prospiciet,* quibus cum unà vive-  
re, quos exemplo tuo meliores reddere, ope quoque & consilio  
tuo juvare queas: &c. Sicque fructum sui in te effundet  
uberrimum: quem degustandum tibi propinat Mystagogus 8. & 9.  
Ethicorum.

XXIV. Qui sanè in hisce, simplici brevique filo & stilo à no-  
bis delineatis, facilè acquiescere potuisset, quippe qui debitum sa-  
tis sic absolverat suum, nisi visum ei fuisset illam de summo bono  
dissertationem repetere, simul & in voluptatis naturam accuratio-  
us inquirere. 10. lib.

XXV. Tu nunc habes, in quibus te exercere queas, ut in virum  
bonum evadas; beatusque persistas diu; memori hæc volvenda ti-  
bi diesque noctesque pectore. Hæc moribus exprimenda, nè  
cum Atheniensibus illud audire cogaris. *Scirie te quæ recta sint, sed ta-*  
*men facere nolle.*

XXVI. Ut autem iter hoc feliciter inire, felicius urgere, feli-  
cissimè peragere valeas, *vita quoque Duces & magistros suaserim tibi*  
*adiungas.* Naturam videlicet, doctrinam & exercitationem.

XXVII. Tecum videlicet vivito, Tuum, ante omnia, ingenio  
um & suppellectilem explorato, ac rem quæ se & bonorum & vitio-  
rum suorum præbeat judicem expiscare. Contra naturam enim nitì  
quid aliud est, quam contra aquam remigare. *Semina quidem scienti-*  
*æ natura dedit non autem ipsam scientiam.*

XXVIII. *Est lex scripta in cordibus nostris unà testimonium reddetne-*  
*conscientia nostra & cogitationibus sese mutuo accusantibus aut etiam defen-*  
*dentibus Rom. 2.*

XXIX. Quemadmodum autem, qui ignem à vicino petit, non  
illic hæret, sed eo allato domi focum suum accendit: Ita semina  
istà non patiaris delitescere, sed exuscitare ea tuum est.

30. Fiet

XXX. Fict hoc per *præcepta*, quæ *viva vox*, & *convictus viri boni* *suppediabit*: Efficaciorem tamen dicerem *convictum*. Plato sanè *plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit*. Viros Magnos non *schola* sed *contubernium* fecit. *Longum iter est per præcepta, ac breve & efficax per exempla.*

XXXI. Quare elige tibi virum bonum, cuius à lateribus nunquam discedas, nè vitiosis exemplis domesticis corrumparis: Sæpè enim Sirenum audies voces: Sæpè Circes pocula tibi propinabuntur: Interdum antrum Polyphemi te capiet: Lothophagorum nonnunquam regio perlustranda tibi erit.

XXXII. Hic quidem dociles imitandis turpibus ac pravis omnes sumus.

Serpente Ciconia pullos  
Nutrit, & inventâ per devia rura lacertâ,  
Illi eadem sumtis quærunt animalia pennis.

At tu juxta Taciti præceptum, *disces à peritis, sequeris optimos.*

XXXIII. Quid possint exempla, apprimè intellexit Philippus Macedonum Rex, qui filium suum, Alexandrum, ideò beatum prædicavit, quod Aristotelis tempore natus esset: Et Lacedæmonij, qui vitæ inculpatæ exemplo pueros docebant suos. Nec non Plato, qui vita sua Speusippum se castigare dicebat.

XXXIV. Quoniam igitur exempla facilius animos subire deprehenduntur, *ad prisca transito*, cum Lælio convivare, ut *amicitiam sanctè colere discas*; Cum Catone & Atrilio Regulo vive, nè à *Constantia* quicquam remittas: Aristidem elige, nè *justitia leges* violes: Scipioni Africano te associato, nè à *continentia* facile abducaris: Homerum cum Alexandro, tanquam viaticum assume; versare cum Socrate, ut tandem mori scias.

XXXV. Quæris qui cum prisca tibi vivere liceat? Dicam uno verbo: Licabit si *libros veterum diligenter evolveris*, studiosè perlegeris. Quos jure optimo *optimos consiliarios* Alphonsus proclamavit. Si antiquas historias commendatas tibi habueris. *Historia enim liber viventium est*, in qua ea intueri tibi dantur exempla in illustri posita, unde quod imiteris capias, unde *scædum inceptu, scædum exitu fugias*.

XXXVI. *Istam tamen re te vivendi curam aut tempus curandi*  
animam

animum noli in annum differre, sed maturè opus aggredere, ut teneris adhuc sensibus virtutum instillentur semina, dum procul ab omnibus animus abest vitiis & in quamcunque partem flexibilis.

XXXVII. *Ea pueris discenda sunt, quibus & usuri sint, cum ad virilem aetatem pervenerint, dum autem differtur, transcurrit.* Agricola laudamus, qui serit arbores, quæ & alteri seculo profuturæ sint. Rusticus expectat: sapiens verò hodierno manum injicit.

Seneca

Hor. I.  
epist.

XXXIIX. At dum ita in studio pergis & forsitan prima vice res minimè feliciter succedet, quæso ne propterea animum statim abjicias, *fac & secunda & tertia vice periculum.* Etiam post malam segetem serendum est. Quid enim est quod in primordio statim queat perfici. Tentantes Troiam pervenere Græci. Quod si accesserit frequens repetitio, ac viri boni assidua æmulatio, omnia ea feliciter in mores transibunt laudatissimos.

Seneca

Apuleius

XXXIX. Ex his, quæ hætenus prælibata sunt, facile est colligere, dari duo *Ethices membra*, quarum primum finem videlicet beatitudinem: Alterum vero medium ad finem, nimirum virtutem in se continet. Prius *εὐδαιμονολογίαν*, posterius *ἀρετολογίαν* vocitant.

XL. Quæris quorsum relegetur amicitia & voluptas? Audi. Effectus sunt virtutis secundarii, quam à posteriore tantùm reddunt conspicuam, licet ad ejus essentiam nihil conferant.

XLI. Ordine nunc de singulis. Prius tamen persequemur ea, quæ hæc forsitan desiderantur, *ζητήμασι*. Sic

## I. Quæstio.

*An disciplina civilis inter scientias queat invenire locum?*

Profectò ita est, non rectè assignare, rebus genera, sive prædicamenta, omnium erroris principium est: uti olim dicebat Plato. Documento nobis esse potest vel hæc præsens quæstio, cujus affirmativæ favere non dubitant, qui vel rerum contingentium & necessariarum disparationem non sat intelligunt, vel confusione delectantur, vel etiam demonstrationis certitudinem & naturam leviter degustant.

B

runt.

runt. Verumenimverò sub *ambiguitate* vocabuli latitare videntur: *Scire, ait noster est rem per causas cognoscere.* & hoc scire oritur ex demōstratione. Sed & illud scire dicimus, licet pressius, quod sine hæsitacione, deplosa omni erroris nebula, credimus. Hoc sanè modo multa scit Ethica, quæ ex ipsa natura hausit. V. G. Deū colendū, parentes honorandos, seniores venerandos &c. & hoc sensu si sub scientiæ titulo disciplinam civilem venditarent, forsan nihil ab iis, desideraretur, quàm ut ambiguitatis vitium exuerent. Sed boni isti pro scientia propriè dicta eam haberi volunt, ac demonstrationes, propriè dictas, jactitant. At nonne actiones humanæ contingentes sunt, pro libertate homini datæ? Contingentia verò à scientiis sequestrantur. *Ἰπὸς ἡμῶν ἔστιν ἕξις ἀποδεικτικὴ ἐξ ἀναγκαιῶς* 6. Eth. 3. omnes enim id, quod scimus non posse aliter se habere, existimamus, ibidem. Ad hæc civilis disciplina, uti supra diximus, est ipsa prudentia civilis quæ ergò scientia generis vicem hic obtineret, cum species sint disparatæ? Linquo alia.

## II.

*An tripartita illa veterum divisio, quæ Philosophiam Practicam in Ethicam, Politicam & æconomicam dividit, sit legitima?*

*In omnia veterum si iurassetus dogmata, affirmativa haud invitè calculem apponeremus nostrum. Tria enim sunt, quæ beatum possunt prestare hominem: Si vir bonus sit, si commodus civi audiat: Si denique frugè Paterfamilias.*

Istum Ethicam efficere: Illum Politica instruere: Hunc æconomica monstrare olim credebatur. Et hinc tripartita illa fluxit disciplinæ civilis divisio, sed, ut dicamus quod res est, non sit commodè instituta. *Primò enim virum bonum à cive bono ceu speciem à specie distinguit, cum tamen vir bonus & civis bonus idem haberi debeat. Civitatis namq; & viri boni bonum idem est: Judicio Aristotelico 1. Eth. c. 1.*

2. Labitur

2. Labitur in eo quoque quod Ethicam tantum virum bonum erudire credit, eaque quæ ad privati hominis institutionem faciunt: Cur enim morales virtutes civem bonum præstare non valerent? Sanè *Iustitia ipsius civitatis anima* hætenus sanctè credita fuit, sine qua nulla civitas, nullus hominum cætus, nulla communitas esse queat. Denique & illud non satis videtur commodum, quod civi & Patrifamilias nullum commune officium conceditum esse putat, nullaque generalia præcepta præscribenda esse censeat, & æconomicam politicæ æquiparat, cum tamen illa hujus quasi famula esse certò deprehendatur. Vid. Velst. centur. quæst. Eth. 1. q. 4. Sed pergendum.

### III.

#### *An Ethica sit ars?*

Delectatur hoc genere Rami progenies: Verùm sit ista cùm quibus esse cupit. Nos cum gratia secedimus: Cùm Negativam ad salutem nobis esse experiamur. Notamus præcipuum fundamentum. Triplici potissimum modo vocula (artis) sumitur. Nam 1. *generaliter*, quæcunque disciplina aut quæcunque mentis nostræ artificiosa cogitatio & operatio hoc venit nomine. Quo sensu vulgò 7. numerantur artes liberales. Quam significationem hic plane non moramur. 2. *Sumitur pro systemate præceptorum crebrius exercitorum ad finem aliquem in vita utilem.* 3. Philosopho dicitur *ἔξις μὲν λόγῳ ἀληθῆς ποιητικῆ.* 6. Eth. c. 4. *Hoc modo Ethica ars dici nullo modo poterit.* Si vel maxime religiosæ isti Philosophi distinctioni inter *πράττειν* & *ποιεῖν*, locum concedere velis. Aliud namque agere, aliud facere est. Non enim actio effectio, neque hæc illa est. Aliud *πράξις*, aliud *ποίησις*. Illa evanescit & in fluente tantum est, ut victoria, triumphus devitiis, causæ decisio. Et hæc etiam opera artificis cessante imò & artifice perempto durat: ut domus, calceus. Illa ergò in actione est & prudentia; Hæc verò materiaturum aliquod effectum post se relinquit, quod artium est non Ethicæ. Neque etiam secunda illa significatio fautores in per-

pato inveniet, nisi omnes scientias artis nomine quis vendi-  
tare vellet. Sed conferatur Excell. & Clariss. vir Dn. M. Ja-  
cobus Marrini, præceptor & fautor noster nullo non tempore  
observandus in *Éudæm.* disp. 1. q. 6.

IV.

*An Ethica Theologia sit inimica?*

*Sanè magis religiosè de oraculis Ethnicorum sentiebat olim Argesilius,*  
quàm multi Christiani de vero Deo. Perfuasum namque sibi  
habebat, si divina sint oracula, secum consentire ea in omnibus. Tu, qui  
Christi nomine gaudes, si quicquam ratiocinari potis es, verum  
Deum multo minùs in libro naturæ & gratiæ secum pugnare, crea-  
des, cum præsertim insigni donetur liber naturæ in libro scripturæ  
encomio. Vocatur enim *veritas Dei Rom. 1. 18. opus legi scriptum*  
*in cordibus nostris c. 2. v. 15.* Unde optimum videtur consequens,  
quòd civilis disciplinà quippe ex principiis istis exstructa, verbo  
Dei reclamare minimè possit. Et qui posset, cum pars sit *legu divi-*  
*na, quam moralem vocamus:* Phil. in epit. Philosoph. moral. Vide  
enim. *Honestè vivere* præcipit Ethicus, Annon idem Theologus. Le-  
ge 1. Cor. 15, 33. Phil. 4. 8 & seqq. Ais; Attamen excludit ille De-  
um, finem primum & ultimum, quando honestam vitam tanquam  
finem suum intendit. Non excludit, quemadmodum neque tum,  
quando virtutes usu & assuefactione acquiri statuit; Reddere te-  
nerur disciplina finem & causam proximam, non verò communem  
& remotum.

*Liberum Arbitrium* sicut in spiritualibus rectè negat Theologus,  
ita in civilibus concedit. Neq; ulterius Ethicus progreditur, & si ad  
actiones spirituales illud deduceret, non negaverim, quod metas  
transiliret suas, & in Sophistam degeneraret. *Ferturbationes* toto suo  
genere pravas non esse dicit Ethicus; Approbat dictum Theologus  
quando Christo affectus concedit, Hebr. 4. v. 15. & non irasit sed pec-  
care prohibet. Psal. 4, 5. Eph. 4. 26. *Naturà hominem neque bonum neque*  
*malum esse docet, Ethicus;* Quid Theologus? naturà nos filios iræ pro-  
clamat Eph. 2. v. 3. At nulla hic pugna, nulla oppositio: Quia non  
le-

Secundum idem & ad idem. Ille enim bonitatem civilem interdicit, naturamque in sua essentia respicit. Hic verò naturam corruptam & gratia destitutam intelligit. *Sic propter affectus neque laudamur neque vituperamur* Philosophus ait 2. Ethic. 4. At Theologus ex Rom. 7. v. 5. 7. 8. 9. 11. 12. 13. & seqq. & c. 2. 7. Gal 5. 17. etiam concupiscentiam peccatum esse docet; *sicut ille iudicium civile & forum Ethicum, hic verò divinū & forum theologicū respicit.* Quod si nondum tibi satisfactum existimas, & Aristotelem carpere perrexeris; Ad Apologā A. C. te remitto, cujus verba hæc sunt; *Aristoteles de moribus civilibus adeò scripsit eruditè, nihil ut de his requirendum sit amplius.* Articulo Justic. p. mihi 62. Dependet hinc decisio istius qua sit, *Nam Ethica Aristotelis homini Christiano sit addiscenda.* R. quod sic. Licet enim conferat ad ejus essentiam, hoc est, ut sit Christianus (Hic enim omnium gentilium Philosophorum scripta nihil quicquam possunt, cum solum Evangelium sit potentia Dei ad salutem omni credenti Rom. 1. 11.) Plurimum tamen ipsi conducere poterit, ad existentiam & à posteriori: ut videlicet ostendere queat, quomodo Deus gentilibus sese manifestavit, ut doceat quousque Ethnici progredi potuerint, & cur sine inexcusabiles, ut monstret legis divinæ & naturalis convenientiam & disconvenientiam. Et quæ his similia de quibus prolixè alii.

Confer tu *èvdaiμ.* Excellentis Præceptoris nostri Dn. J. M. disput. 1. q. 3. & disp. 2. q. 5. *Sagittarum exerc.* Ethic. exoter. disp. 1. q. 1. & 7. Nos interim querendo pergemus.

V.

*Adventur notitia insita.*

Non crediderim, ulli cuique homini unquam placuisse ita *θεομαχῆν*, ut plane & publice hæc negare vel voluerit, vel etiam potuerit. Si tamen forsitan belluatalis occurreret, opponere ipsi poteris illud Rom. 2. 14. *Cum enim gentiles quæ legem non habent, natura iter ea, quæ legis sunt faciunt, legem eiusmodi non habentes ipsis sibi sunt lex.* Ecce enim hic legem scriptam vel ab aliis acceptam, expressè opponit Apostolus legi innatæ: Unde sequentia verba: *Qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia.*

B 3

tia.

*ta*, non poterunt aliter quam de lege innata explicari. Adde Rom, 1. v. 21. Belle Selneccerus in pædagogi. *Tetrum est negare hominem habere notitias secum nascentes, & non alicer se habere quàm brutum irrationale. Hoc enim contra Dei verbum, contra veritatem & experientiam omnium saniorum est, & certum indicium ingratitude est erga beneficia & dona Dei.* Hactenus ille. Vid. & B. Chemnitius part. locor. C. mihi pag. 20. & parte 2. tit. d. lege c. 9. f. mihi 103. & seqq. Hunnius in Johan. c. 1. loco com. 2. p. 51. Menzerus in repetit. Chemnit. disp. 12. à th. 4. fol. 65. Sagittarius in Templo virtutis Exerc. 8. q. 2. Et in exot. exerc. 2. q. 40. p. 39. & Exerc. 8. th. 3. p. 191. Schröderus in opusculo Theol. c. 2. p. 169. Velste. Exerc. Ethic. exerc. 1. q. 4. Quales verò sint notitiæ istæ an in prima vel secunda qualitatæ specie sedem mereantur magna de certatio: sed quæ parùm inservit nostro instituto. Progrediemur ergò.

## VI.

### *Ordo in Ethicis tractandis qualis observandus?*

Egregiè sanè illi demum docendi munere perfunguntur, quibus discipulorum & auditorum sese applicant ingeniis. *Suam enim in docendo eruditionem ostentare, quid aliud est, quam ex fulgure fumum dare?* Qui stultis videri volunt eruditi, eruditis videntur stulti, rectissimè ille olim dicebat. Viderint ergò illi quales D. D. agant, qui Zabarellæ, meliorem in disciplinis spectandam esse cognitionem docenti, acriter contradicunt, eumque ordinem, qui rerum naturalium seriem sequatur, seriò semper observandum præcipiunt. Nos ab his secedimus diversi. Et cum duplex sit nature ordo (quod jam præsupponimus cum Zabarella l. 2. de meth. c. 6.) *Syntheticus videlicet, quo à principiis rerum ad principia progredimur, à simplicibus ad composita, à nobis notis ad notiora.* Et *analyticus, quo à cognitione finis ad principia seu media provehimur.* iccirco cum genuinis Aristotelis alumnis in *Ethicis analyticum observandum esse, arbitramur ordinem, quod ipsum suo exemplo nobis monstravit Doctor noster*

noster



noster, quando ipso in Ethicorum vestibulo de bono summo, tanquam de ultimo fine, postmodum verò de virtutibus tanquam de mediis illud acquirendi, agit. Et rectè quidem: *Nisi enim finis prænoscatur nulla eorum, quæ ad finem ducunt haberi potest noticia* dicente Sagittario in Templo virtutis pag. 25. Et à cognitione finis mediorum cognitionem pendere ait Zabarella. Cumque facilius à noto ad minus notum procedere te posse ipse non inficias. Ethices autem finem sat notum habeas, media verò non item: *Media quoque sine nondum cognito, non desideres unquam:*) Errant enim consilia, cum non habeant, quò dirigantur; consultatioque omnis suscipitur ob finem propositum 3. Eth. c. 3. Scal. exer. 177. f. 5.) cur de fine priori loco hic tractare interdiceres, cum tractatione hac quæ methodum analyticam spirat, plurimum juveris, Ipse vide *εὐδαιμ.* Dn. Jac. Mart, disp. 2. q. 4. & disp. 3. thesi 1. q. 1. & Velt. exerc. Ethic. 2. q. 1, Addeque Senecæ 71. epist.

## VII

### *An iuuenis idoneus Ethices auditor esse queat?*

*Prima Prudentiæ pars est ipsam, cui præcepturus es, personam estimare,* ait Palladius. Ingeniorum certè instituendus delectus est, neque omnes ad quamlibet disciplinam admittendi. Fecit hoc Plato cujus Academiæ hæc verba affixa fuisse novimus. *ἔδειξ ἀγωμέτην ἔπειτα.* Sic ante fores Templi Eleusiniæ Cereris ista lecta fuisse ajunt: Nemo hoc ingrediatur; nisi qui suæ innocentiae conscius sit. Vestigia hæc pressit & noster, qui in vestibulo disciplinæ Ethices l. 1. c. 3. istud edicit, quod juvenis (*νέος* non *πᾶς*) auditor civilis commodus & idoneus esse non possit. Sicque videtur abigere ab hac institutione eos, qui maximè indigere eviderentur. Durum. Nonnulli id emolliunt, dicuntque, non id esse attendendum, cujus quisque sit ætatis, sed quantum in studiis jam profecerit. Verbo. *Distingunt inter iuvenem ætate & moribus.* Nec que ætate sed ingenio sapientiam acquiri, cum Plauto ajunt. Nec quidem

quidem malè nec minus appositè ad Doctoris mentem. Hic  
namque videtur ejus fuisse scopus non avocare juvenes ab omni  
institutione atque informatione morum, sed ostendere solum hæc  
præcepta Ethica in quibus non tantum recta vivendi ratio contine-  
tur, sed & accurata, & concinna morum informatio requiritur, æ-  
tati juvenili non satis convenientia esse. Ergo aliud est querere de  
Ethicis auditore si nō iūter, quem Philosophus noster hic minime remoret:  
Alia ipse virgulam censoriam meritus fuisset, quod Nicomacho  
suo quippe juveni Ethicam consecravit: Aliud de auditore idoneo  
querere est, de quo hic certatur. Juvenes autem ad honestam vi-  
tam non præceptis hisce difficilioribus obruendos, sed fabellis a-  
mœnis, apologis festivis, elegantioribus sententiis, lepidisque pa-  
rabolis invitandos esse plurimi suadent. Vid. Sagitt. in Exot. Ex-  
erc. 1. q. 10. p. 8.

## II X.

*Virum lætus futurus Philosophiæ operam  
navare debeat?*

Mihi quidem sic videtur. Sed videat ut vite, non verò scho'æ dō-  
ctat, nec in speculationibus consenscat. Subtiles isti sive altercacio-  
num sive disputatiuncularum laquei an genus Logices sit ars, an  
scientia, an prudentia, an Embryo sit Ens vel non Ens: An Socrat s moro-  
tuus sit homo vel asinus: quod s. pulchrum qua parva Homeri; Quot atomi vo-  
lurent in aere celo sereno, & qua his sexcenta simili: alia dic quæso, cui  
bono? Vix Philosopho, tantum abest, ut læto, cui non tam acumi-  
nè, quàm directæ judicii norma opus est, qua suadeat, qua imperet,  
non argutè disputet, aut tempus inutiliter terat.

Philosophandum igitur ipsi est, (in Philosophiâ theoretica) at  
paucis: Degustanda hæc sunt, non ingurgitanda. Addatur tamen Elo-  
quentiæ & historiæ studium, quo sine lætus mihi videtur effosso vo-  
mine Cyclops. Philosophiæ autem practicæ plus laboris & indu-  
striæ consecret, quippe quæ totius vitæ civilis magistra & fons omnis  
civis prudentiæ est.

Et ut de Ethica in specie quid addamus, maximopere omnino eam sibi commendatam habeat. *Principijs enim ignoratis non potest res probe cognosci:* iudicio Zabari. 1. de const. scient. nat. c. 16. Sunt enim principia tanquam locus ianue in domo quem nullus ignorat. Ergo sicut ad interiora ædificii aditus nulli patet nisi qui apertam prius salutaverit ianuam: Ita Ictus qui prudentiæ Ethicæ constitutione destituitur tanquam fundamento & principio, qui ad ipsi penetrabilia Iurisprudentiæ penetrabit? Et si de æquitate bonitateq; legis dubitatur, ubi quæso asylum sibi paratum inveniet nisi in Ethicis? Immo certæ rationi & hisce præceptis quæ contrariantur, non legis naturam, sed tyrannidem, imò & injuriam spirant. Et licet Ictus leges pro principiis arripiat, sicut & physicus, corpus naturale esse substantiam pro principio habet: Quia tamen eadem non mera & immediata sunt principia, sed ab aliis superioribus, nempe Ethicis, quemadmodum physica principia à Metaphysicis, dependent merito de ipsis legibus Philosophus practicus, sicut de corpore naturali Metaphysicus dubitat, disputat.

Hinc Ulpianus l. l. § cujus ff. de just. & jure iuris *Sacerdotes veram & non simulatam philosophiam affectare persuasum sibi habet.* Nam quod in thesi Ethicis, in hypothesis id proponit Ictus. Quomodo etiam leges mihi interpretabitur Ictus (Hoc enim ipsius officium est; Propterea *Iurisperitus dicitur*, l. 2. § Post origen. ff. de origine Jur. Et *Juris interpretator* l. 38. tit. 10. ff. de grad. & affin.) sine fundamento philosophia videlicet Practica? Ergo sicut bonus medicus esse non potest, qui non sit Philosophus naturalis, ita vix mihi persuaseris bonum legislatorem fore eum, qui moralem nunquam degustavit Philosophiam. Concludemus quæstionem cum Vultcio in præf. Iurispr. Rom. p. 58. qui ita in fit. *Sine quibus satis commode disci nequit, omnes sunt Philosophiæ partes, cum primis autem Ethica, quæ iuris quædam principia proponit:* Astipulatur huic. H. Kirch. in synopsi Phil. moralis thesi 24. *Arbitramur (inquiens) neminem in studio Iuris absq; Ethicis cognitione feliciter progredi posse.* Sublimiori sanè Clarissimi isti viri Ethicam habuere loco, quam plurimi, qui Justitiæ & Juri consecratos se fatentur & dum vix Academicos vixisse ceperunt, angulos & plateas statim Iurisconsulto: ù auditoria perieperant, fundamento practico omni post habito: (nimis enim vile hoc ipsis vide-

tur

eur) post cristas erigere discunt & nil nisi Baldum crepare, Barcolum  
somnia, Cuiacium allegare norunt. Sed inconcussum stat adhuc  
stabitque dum in mundo prudentia erit, tritum illud: *Voi desinit  
Ethicus, ibi incipit Ictus.* Vide Piccol. grad. 1. Phil. moral c.  
10. Et Templum virt. Sagittarii exerc. 1. q. 4. Nos urgemus  
institutum.

IX.

*An cognitio Ethices sit supervacanea?*

Egregium sane sophisma est, quò nonnulli Ethicam ex Scē  
na vitæ hujus eliminare non verentur, propterea quod malis non  
profit, boni verò illa minimè egeant. Sed tu si bonus es attende.  
1. Quotquot illi sunt, Cujas etiam sint, non tamen attendunt  
*triplex dari genus hominum, quorum quidam nec simpliciter boni, nec simpli-  
citer mali, sed medij sunt.* Videtur epist. 53. Senecæ. 2. *Falsum est*  
quod dicunt, bonos Ethicis non indigere præceptis. Ann' enim  
cessandum, felicius si cui cesserit ingenium. Putarem ego, quo  
melior soli natura est, eò facilius illud corrumpit, & inutilibus her-  
bis ac fruticibus occupari posse, ni agricola vigilet. Nonne eo-  
dem pacto ingenium hominis sese habet? Probarem hoc, si te du-  
bitare olfacerem. 3. Tandem neque de malorum genere peni-  
tus desperandum erit. Cogendi illi & compellendi sunt ad  
bonum. Non desperabat de Polamone Xenocrates, licet ille  
perditæ esset luxuriæ: Neque spes eum fefellit. Egregia enim  
oratione de modestia & intemperantia habita resipiscere eum co-  
ëgit. Sicut enim nulla belua tam effera tam immanis est, quin  
industria domitoris mansuescat; Sic hominum.

Val. l. 6.

6. II.

Nemo adeò ferus est, qui non mansuescere possit,

Si modò doctrinæ patientem accommodet aurem.

Vide Sagitt. in Templ. Virt. exerc. 1. q. 3. Jam conclude-

mus.

X

*An libri moralium Nicomachiorum sint*

*Aristotelis?*

Sic remur; Persuasi 1. ipsa methodo & tractatione, 2. ora-  
tionis genere, 3. ab interpretibus græcis, 4. 1. 6. Eth. c. 3. 2. Polit  
c. 1. 7. Polit. c. 13, ubi ad hos libros ipse Philosophus nos remittit:

Quid:

Quid contra objiciatur, & quomodo id solvendum, si vacat, vide  
Piccol. introd. c. 13. & erudieris, ut spero sufficienter. *Abrumpen-*  
*dum. Nunc*

*Anchora de proa iacitur st. t. lit. ore puppi.*

## Corollarium.

*An Practica Philosophia Theoretica sit præ-*  
*stantior, D.*



Ad Ornatiss. & Doctiss. Do-  
minum Andream Bergemannum  
differentem.



*Um mihi complendi detur modo copia chartæ  
Hoc spacium, in laudes Bergman abibo tuas.  
Has labor in studiis meruit tuus, atque cupido  
Virtutis, dubitas: testis arena tibi*

*Est presens: adytò non Murcia diva coerces;  
Nec nummis Cræsus Te angit amice suis.*

*Non Veneris, blandò quamvis, vexatis amore:  
Non adamas Bacchi pocla; quid ergò? Subis  
Prælia Musarum privata: his fortiter addes  
Publica si quoradam, Vir mihi magnuseris.*

*Φιλίας in τεκμήριον huc  
apposuit.*

M. Andreas Snifius, VV. SS. Th. Stud.

*Adsis*

**A**dsit num iuuenis decorus annis  
Iam florentibus Ethices adaptus  
Auditor, docuere multa multi  
Nomen queis sapientia dabatur;  
In torum stolidi ne gare multi  
Intendunt stolidè labore magno.  
Debet numne velut docens adesse  
Illis, ut medicina? Sed senili  
Vita ut regula cæui virorum?  
Nam pellit medicina ceu dolores:  
Mores non secus Ethica hac propellet  
Malos. Hac medicinâ, doctè, cordi est  
Tibi, qui es iuuenis decorus annis.  
Pergas iam iuuenis decorus arte,  
Ac tandem patriæ decus Levamen.

Contubernali suo exoptatis:  
(deprop.

Elias Berlin/Rupin. March,



LIBR. MUSEI HIST. NAT. MUSEI MUSEI MUSEI MUSEI

222



B III

28